DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS CHRISTOPHORUS LUDLOW,

Anglus.

Jejunus stomachus raro vulgaria temnit. Hor. 2. 32.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

VIRO OPTIMO

MICHAELI HOY ARMIGERO,

DE MIDDENBURY HOUSE,

IN AGRO HANTONIENSI,

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

ANIMI GRATISSIMI,

OB CONSILIA, BENEFICIA, AMICITIAM

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

QUIBUS EUM DIGNATUS EST,

TENUE SED SINCERUM TESTIMONIUM,

OFFERT

AUCTOR.

VIRO OPTIMO

MICHAELI HOY ARMIGERO,

DE *MIDDENBURY HOUSE*,

IN AGRO HANTONIENSI,

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

ANIMI GRATISSIMI,

OB CONSILIA, BENEFICIA, AMICITIAM

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

QUIBUS EUM DIGNATUS EST,

TENUE SED SINCERUM TESTIMONIUM,

OFFERT

AUCTOR.

STRENUISSIMO BELLATORI

BISSELL HARVEY,

IN EXERCITU BRITANNICO TRIBUNO

SERENISSIMO NUPER PRINCIPI

EDWARDO DUCI CANTII

AB EPISTOLIS,

&c. &c. &c.;

HANC DISSERTATIONEM,

UT ANIMUM OB MULTA NEC OBLIVISCENDA

A SE ET SUIS IN IPSUM COLLATA

GRATISSIMUM TESTETUR,

SUMMA REVERENTIA

OFFERT

H. C. LUDLOW.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

HENRICO CHRISTOPHORO LUDLOW Auctore.

ILLUSTRIS CULLENUS, in Nosologia sua, Hepatitidem in classe *Pyrexiarum,* et ordine *Phlegmasiarum,* locavit: itaque definavit:

"Pyrexia, hypochondrii dextri tensio, et dolor, sæpe pungens, pleuritici instar, sæpius obtusus; dolor ad claviculam, et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnœa, tussis sicca, vomitus, singultus."

Hic morbus omnibus regionibus orbis terrarum occurrit, sed calidioribus, ut India Orientali et Occidentali, magis familiaris est; pauci quidem Europæi istis locis diu commorantur, quin aliquod hepatis malum patiantur.

DE SIGNIS.

Jecinoris inflammatio comites habet pyrexiam, dolorem, modo acutum, modo obtusum, cum sensu plenitudinis ponderisque in hypochondrio dextro, pressu auctum, atque ad claviculam et humerum jaculantem; nauseam, vomitum, intestina plerumque inertia, stercora albida sæpe, vel tenuiora. Urina saturate colorata est, nec ut consueta, abundat. Anorexia adest, urget sitis, lingua albida, aut flava. Pulsus frequens, robustus, durus, respiratio difficilis; in latus sinistrum licet sanum, æger sine dolore incumbere nequit; si vero hepatis convexum inflammatum sit, spiritus dolentior est, æger aliquando singultu afficitur, et tussis quoque magis urget.

Tussis aliquando comitatur, et cutis oculique haud raro flavescunt.

DE TERMINATIONE.

Hepatis inflammatio terminari potest in Resolutionem, Suppurationem, Gangrænam, aut Hepatitidem chronicam.

De Resolutione.—Si post aliquot dierum dolor, tumor, aliaque signa decedunt, resolutionem factam esse reputemus. Sæpe profluvium aliquod criticum comitatur, ut diarrhœa, epistaxis, urinæ vel sudoris insolita profusio; urina fere sedimentum lateritium deponit. Erysipelas accedens sæpe morbo finem imposuisse videtur.

De Suppuratione.—Hæc contigisse noscitur, ubi, post dies aliquot dolor diminutus, pulsatio, et pondus in parte affecta, percepta sunt. Fluctuatio quoque aliquanto sentitur. Hectica quoque illa signa sæpe comitatur. Pus in hepate formatum variis modis evacuari potest. Si ab-

scessus in convexa hepatis facie situs sit, tum peritonæo musculorum abdominis adhærescat, atque sic pus viam sibi extrorsum paret. Aut abscessus diaphragmati, hoc pulmoni, concrescat, et materia purulenta in bronchia pulmonum viam sibi facere potest; tandemque tussi ejiciatur.

Pus in ventriculum aut intestina effundi potest, hepate cum his organis concreto, aut per ductus biliosos, ut auctores narrant, in duodenum effundatur.

Denique, pus non per has vias necessario confertur; sæpe in corpus resorbetur, et æger valetudinem integerrimam recipit. Si nulla adhæsio facta est, nec absorptio, pus in cavum abdominis prorumpit, et æger hectica perit.

Immensa sæpe in jecore suppuratio facta est, nec tamen per vitam ægri quid suspicionis moverat: cujusmodi exemplum, in Musæo doctissimi Professoris Monro, singulare conservatur.

De Gangræna.—Hujus morbi terminatio in gangrænam rarissima est; siquando contigerit, frigus extremorum, singultus, pulsus vix percipiendus, indicant.

DE CHRONICA HEPATIS INFLAMMATIONE.

Dolor fere in regione hepatis obtusus est, respiratio difficilis, tussis sicca, appetitus cibi incertus, somnus perturbatus, animus demissus, concoctio prava, stercora argillacea, cutis flavedo, vultus lividus, pulsus solito quietior, aliquando intermittens.

Signa autem hæcce adeo mitia esse possunt, ut ante mortem ægri morbum subesse nemo suspicetur.

DE HEPATITIDIS CAUSIS.

Hepatitis oriri potest a frigore, præsertim si corpori calefacto hoc admotum fuerit: ab injuriis externis, a solis radiis nimis intensis; ab animi affectibus; a febribus porro intermittentibus; et ante omnia, ab usu liquorum stimulantium. Doctissimus Saunders, Baillius, cum multis aliis, acutam hepatitidis speciem a conditione inflam-

mata ramorum arteriæ hepaticæ derivant: longam vero a simili venæ portarum affectu.

Dr CULLEN sedem inflammationis in ramis arteriæ hepaticæ ponit. WINSLOW utramque speciem ramis venæ portarum inflammatis, attribuit. Quomodocunque vasa se hac inflammatione habeant, satis constat, superficiem hepatis, et membranam ejus peritonæalem, in acuta inflammari hepatitide; solidum vero parenchyma, seu substantiam, in chronica.

DE DIAGNOSI.

HIC morbus confundi potest cum Pleuritide, Gastritide, Rheumatismo musculorum lateris, Spasmo ductuum biliferorum, Enteritide, Colica.

A Pleuritide.—Cum inflammatio partem pleuræ inferiorem adoritur, in latere dextro, facile cum jecinoris inflammatione confundi posset. Ab hac tamen signis sequentibus distingui debet.

In hepatitide, dolor non adeo ex profunda inspiratione, ut in pleuritide, augetur. Etiam do-

lor multo magis augetur, ex hypochondrio dextro presso; atque ad claviculam extenditur. Tussis frequentius pleuritidi adest; quod rejicitur sanguine tinctum. Respiratio quoque in positu erecto multo facilior. In Hepatitide, vultus sæpe pallidus, aut plumbeus est, et in regionibus calidis plerumque occurrit: dum Pneumonia frigidorum propria est.

A Gastritide.—A gastritide sæpe haud sine difficultate insigni hepatitis distingui potest. Priori tamen ingens virium prostratio est, dolor in ventriculi regione ardens, vix tolerabilis, ingestorum rejectio, pene statim atque accepta sunt. In Hepatitide, dolor in dextro hypochondrio et humero percipitur; cibus et medicamenta retinentur; stercora argillacea quasi apparent.

A Rheumatismo.—Rheumatismus fere eodem tempore varias corporis partes, præter musculos lateris; contra, hepatitis unam tantum afficere solet.

Raro tussim, vel dyspnœam habet, nunquam difficilem decubitum in latus sanum, et si costæ

contra vehementer premantur, dolent magis quam in hepatitide.

De Ictero.—Hepatici in hypochondrio dextro fere dolent, Icterici in epigastrio: dolor horum pressu levatur, et flexu corporis antrorsum: quæ omnia contraria sunt in hepatitide. Denique Hepatitis fere febriculam aliquam habet, et dolor in summo humero dextro; raro in ea cutis, oculi, vel urina flavent; quæ tamen aliter se habent in Ictero; ubi flavedo maxima, dolor humeri nullus.

Ab Enteritide.—In hoc morbo dolor circa umbilicum, cum torsione quadam, gravior est; dolor in humero nullus, intestina et ventriculus valde turbantur, ingens debilitas adest; alvus fere adstricta.

A Colica.—A Colica discriminatur hepatitis, dolore circa umbilicum torquente, musculorum abdominis retractione, pyrexia nulla. Dolor quoque pressu levatur, alvus pertinaciter adstricta.

DE PROGNOSI.

Si morbus curationi diligenti protinus ab initio non cedat, putandum est, suppurationem factum iri; quo casu prognosis cautissima esse debet, quoniam prædictu difficile erit, per quam partem aut viam hæc excessuram sit.

Cessatio signorum post remedia exhibita, somni reditus, concoctionis pravæ indicia fugata, oculus vigil, nitens, vultus hilaris, virium reditus, faustam omnes terminationem promittunt. Si quidem ægri vires decrescunt, si vomitus, delirium, singultus, membrorum algores superveniunt, tum prognosis pessima est, nec nisi letho morbum finiri speremus.

SINGULORUM INDICIORUM RATIO.

De dolore circa summum humerum claviculamque.—Dolor in summo humero fortasse alios

quoque hepatis affectus comitetur, ut icterum, sed longe sæpius in inflammatione videtur.

Dolor a nervo phrenico dextri lateris irritato vulgo nasci creditur. Hic enim aliquando per septum transversum penetrans, per convexam hepatis superficiem spargi dicitur, atque irritatio hujus inflammationis per nervos ad originem ejus in plexu axillari revehitur. Hac ratione dolor in scapula, clavicula, vel summo humero, nimirum, in partibus vicinis, intelligi potest.

De Nausea et Vomitu.—In Hepatitide, hæc signa a consensu inter hepar et ventriculum, generari possunt: et multo magis frequentia, graviaque sunt, ubi convexa hepatis superficies afficitur. Alia hujus conditionis causa sit, quod inter hepatis inflammationem, bilis in duodenum descendere nequit, saltem nisi statu vitiato non intret: atque cum status et copia bilis idonea, probæ concoctioni necessaria videtur, mala dicta, perinde ac in ictero, sæpe oriri possint.

De Cutis Flavedine, Alvo adstricta, Stercore albo.—Hæc indicia per concavam hepatis super-

ficiem maxime nasci videntur. Tum enim ductibus biliferis pressis, bilis in duodenum descendere nequit, perpetuo resorbetur, atque cutem et oculorum album colore flavido tingit.

Bilis quoque in canali alimentario defectio, hunc tardum efficit; atque stercora, quæ feruntur, ab eadem causa colorem albidum repræsentant.

De Dyspnœa, decubitu in latus sinistrum difficili, aliisque.—Respirandi actio partim pendet a libero diaphragmatis motu: quæcunque igitur hunc motum impediunt, respirationem magis laboriosam necessario efficient. Hepar itaque grandius factum, descensui diaphragmatis obstabit, et spiritum difficiliorem reddet.

Irritatione quam inflammatio gignit, tussis excitatur.

Dolor in dextro hypochondrio, a pressu septi in jecur inflammatum descendentis exoriatur. Frequentior est ubi superficies convexa inflammata est. Hepar enim diaphragmati multis ligamentis annexum est, atque inflammatio per hæc necessario propagatur. Tensa igitur per to-

tum jecinoris pondus, quod latere sinistro decumbenti necesse est satis vehementer dolent.

DE AUTOPSIA.

Corporibus hepaticorum post mortem incidendis, membrana hepatis externa sæpe multum incrassata, punctisque rubris obtecta, videtur: atque partibus vicinis ope lymphæ coagulabilis effusæ, adhæsisse.

Hac regione substantia hepatis raro inflammata videtur. Siquando tamen id fit, valde auctum est, atque colore purpureo. Natura durius est, et abscessus aliquando continet.

Nonnullis hujusmodi exemplis pondus hepatis ad libras octodecim, vel etiam plures, increvisse repertum. Abscessus aliquando cum ventriculo, vel intestinis, communicant.

Tubercula omnigena aliquando adsunt; fusca, rubra, mollia, cartilaginea, granulata: atque in quibusdam, universum jecur incisum unius immensi sacci pus habentis speciem exhibuit sectoribus.

Nec raro calculi biliosi in hepate reperti sunt; et in pauculis, favi apiarii figuram referebant.

DE CURATIONE.

In Hepatitide curanda consilia medendi sunt:

I. Actionem cordis arteriarumque nimium compescere.

II. Inflammationis præsentis resolutionem moliri.

III. Fabricam hepatis naturalem restituere, pus, quantum fieri potest, tuto elicere.

Ad primum consilium, auxilia potentissima sunt sanguinis missio, victus refrigerans, purgantia salina.

Sanguinis missio adhiberi debet protinus ab initio hepatitidis; atque si æger plenus sit, vel signa acerba, iteretur. Si venæsectio non liberaliter adhibeatur, suppuratio minatur. Medici quidam opinantur, sanguinem e brachio hoc in morbo non mittendum esse, nec nisi hirudinibus et cucurbitulis parti affectæ quam proxime admo-

vendis. Hæc autem utilia esse possunt, ubi doloris aut pyrexiæ non multum subest, sed in plerisque sanguinis detractio generalis plus proderit. Hæc de magno satis vulnere fiat, sed effectum majorem e dextro cubito nonnulli speraverunt.

Optimi, aliquando orti sunt ex vesicatoriis regioni hepatis admotis, effectus. Sanguinem enim ad vasa externa dirigere videntur; atque contraria quadam irritatione in cute excitata, nimiam vasorum hepatis actionem compescunt. In uno enim corpore, duæ actiones morbosæ, simul existere nequeant; si locus exulceratus sanescat, aliud applicetur vesicatorium; vel primum ulcus irritantibus apertum servetur. Quin unguentum stimulans ex adipe suillo et tartrate antimonii, vice vesicatorii, in regionem hepatis infricetur.

Alvus aperiatur purgantibus salinis: Phosphate Sodæ, Sulphate Sodæ, Sulphate Magnesiæ, Tartrate Sodæ et Potassæ, Super-sulphate potassæ.

His Submurias Hydargyri, aut Pulvis Jalapæ compositus, aut quod melius est, Infusum Sennæ compositum, adjici potest. Enemata emollien-

tia quoque adhibeantur, utpote quæ intrinsecus quasi partes foveant.

Partes autem dolentes, fomentis calidis foveri possunt. Balneum tepidum quoque nonnullis profuisse visum. Pedes denique in aqua salina calefacta immergendi sunt.

Medicamentis ex antimonio, sudor ille invisibilis, quem Græci diaphoresin vocant, sollicitetur. His exiguæ nitratis potassæ portiones adjectæ, sitim restinguere reperientur.

Si isto nihil obstante, suppuratio inciperet, hanc omnimodis foras prolicere oportebit. Illud tentant medici cinchona, victu nutriente, *intrinsecus*: Cataplasmatis emollientibus, *extrinsecus*.

Compertum est, hepatis abscessus, non minus velociter quam aliarum partium sanescere; quamcunque igitur in partem abscessus spectet, in ejus sede infima aperturam fieri oportebit, aut lanceola, aut perforatore triangulo; pus enim plerumque facile talibus defluit. Sin minus, fistulosa abscessus fabrica, specillo cautissime rumpenda erit. Dum ulcus quid profundere perseverat, cortex cinchonæ, vel Sulphas Quiniæ, exhiberi potest, vel, si opus visum, alia quoque roborantia.

In morbis Hepatis, Hydrargyrum ut medcia-mentum efficacissimum laudatur.

De specie tamen cui prosit, multoque magis de tempore modoque exhibendi, medici suo more pugnant. Alii ab initio dari, alii minime tum oportere, contendunt.

Doctor TROTTER eum inutilem censet, in illa jecinoris inflammatione, quæ ex liquoribus fermentatis immodice sumptis nascitur.

Exhiberi potest in forma Unguenti Hydrargyri, Pilulæ Hydrargyri, vel Submuriatis Hydrargyri cum Opio. Nonnulli forsan non multum hallucinantur, cum unguentum super hepatis regionem infricari jubent: sed si dolor, vel aliæ res hoc vetant, satis erit super femina infricare. Hydrargyro sumendo perseverandum est, donec effectus ejus proprii in corpore evadunt manifesti. Compertum est, acidum nitricum his in Hepatitide commodissime auxiliari. Intrinsecus multa aqua dilutum exhiberi potest, vel sub balnei forma, et cum vel sine acido muriatico. Hujus duæ partes, uni acidi nitrici adjicitur, ut fiat *aqua regia,* seu acidum nitro-muriaticum, cujus uncia

fere aquæ congiæ imbuendæ sufficit, ut ore evidenter acidula sapiat.

Balneo hujusmodi aut totum corpus brevi demittitur, aut membra inferiora genu tenus; vires ejus reficientes mirifice a nonnullis medicis decantatæ sunt.

De Victu et Regimine.—Victus refrigerantis singula præcepta, diligentissime inculcanda sunt. Cibi concoctu facillimi, seligendi; et suppurantibus, nullo non modo vires ruentes suffulciendæ: nec unquam a medici memoria decidere debet, his oppressis, medicamina nihil valere. Tritum est ea in cadaver non agere; sed æque verum est, fere nunquam supra modum debilitatis medicamina multum posse: viribus enim exhaustis, novæ actiones sanitati necessariæ, nec excitari, nec si excitatæ essent, continuare valerent.

FINIS.